



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE ***UBI VICTORIA*** MEMORIAE PRODITUR SUMMUM  
PONTIFICEM IOANNEM PAULUM PP. II  
OCCASIONE DATA PASTORALIS VISITATIONIS ARCHIDIOECESIS  
BRUNDUSINAE-OSTUNENSIS DIE XXVI MENSIS OCTOBris ANNO MCMXCVI  
CORONAVISSE IMAGINEM BEATAE MARIAE VIRGINIS SUB TITULO «NICOPEIA»,  
QUAE RELIGIOSAE COLITUR IN ECCLESIA PAROECIALI  
SANCTAE MARIAE A VICTORIA IN OPPIDO V.D. «SAN VITO DEI NORMANNI» Ad perpetuam rei memoriam. – Ubi  
victoria de malo subest et de peccato ipsaque de morte ea quidem est tribuenda Christi sacrificio, qui homo est factus,  
corpore et anima in utero Virginis susceptis (cfr Tertio millennio adveniente, 7). Ideo studemus tota cum Ecclesia  
Immaculatam Virginem Mariam assidue sequi, ut nos ad Filium suum victorem conducat benigna. Instante igitur  
Venerabili Fratri Septimio Todisco, Archiepiscopo Brundusino-Ostunensi, qui, vota cleri et populi fidelis expromens, Nos  
rogavit, ut imaginem Beatae Mariae Virginis sub titulo Nicopeia quae religiose colitur in ecclesia paroeciali Sanctae  
Mariae a Victoria in oppido v.d. «San Vito dei Normanni» aureo diademe redimiremus, Nos, libenti sane animo  
huiusmodi precibus obsecundantes, die XXVI mensis Octobris, anno MCMXCVI, occasione data pastoralis Nostrae  
visitationis in archidioecesi Brundusina-Ostunensi, inter Missarum sollemnia supra dictae imagini auream imposuimus  
coronam. Nunc vero ut huius sollemnisi coronationis memoria in posterum perennis vigeat pariterque significetur fidelium  
voluntas praecelsam Dei Genetricem diligendi et sequendi, Nostro quidem consilio, signo peculiari benevolentiae qua  
sollertem Praesulem omnesque dilectos filios illius archidioecesis prosequimur, has Litteras Apostolicas dari iubemus,  
testes verissimas tam fausti ac felicissimi eventus, contrariis quibuslibet rebus nihil obstantibus. *Datum Romae, apud  
Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Ianuarii, anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo. De  
speciali mandato Sanctissimi JOANNES BAPTISTA RE*  
*Substitutus Secretariae Status © Copyright 1997 - Libreria Editrice Vaticana*